

Q. D. B. V.

# LIVONIA

## CERTIS PRO- POSITIONIBUS

COMPREHNSA,

*Sub PRÆSIDIO*

## CONRADISAMUELIS SCHURZFLEISCHII,

Prof. Publ.

*Ad constitutum diem 28. April. A. 1700.*  
defendetur.

*a RESPONDENTE AUCTORE*

M. HERMANNO Becker /

Lemsalia prope Rigam

Livono.



VITEMBERGAE,

Typis MARTINI SCHULZI, Acad. Typ.

46



## PROP. I.




*Ivoni*, five, ut alii scribunt, *Livones* dicuntur non, ut multi putant, a *Livis*, antiquis terrae Livonicae incolis, sed nominis initia repetunt a vocabulo quodam perverusto, five *Esthónico*, five *Livónico*. Quemadmodum enim *Libavia*, urbs in *Curonia*, nomen suum fortita videtur a verbo *Livónico* *Lepay*/ id est, tilia, arbore, haud ignota, quoniam eo in loco, quo jam urbs *Libavia* est exstructa, ex antiquorum auctoritate & testimonio, tiliae olim magno numero consitae & repertae fuerunt. Similiter atque *Semgallia*, quam nonnulli a *Semi* & *Gallia* derivatam cupiunt, nomen suum itidem habet, ac deducit a prisca Livonorum voce, *Semmes Gals*/ hoc est, a fine terrae: & ipsa *Curonia* quoque originem suam ducit a nomine Livónico *Rur* & *Semme*, unde Germanica dictio conflatur, *wo ist Land*/ quod nomen antiqui *Livoniae* incolae usu triverunt, & ignorantia decepti adhibuerunt, rati, *Semgalliam* totius *Livoniae* esse terminum: haud fecus, ac *Livonia* a nomine quodam Livónico nuncupatur.

Est.

## II.

*Livonia* autem, quam olim sic dicti *Livi*, vel *Letii* incoluerunt, dividitur in tres partes: in *Esthoniā*, *Livoniā* spe-



speciatim ita dictam, Trans-Dunam illam, & *Curoniam* five *Curlandiam*.

### III.

*Esthoniae* caput est *Revalia*: *Livoniae* proprie sic dictae, quam *Letti* terram five provinciam intermediam, utpote sitam inter *Esthoniā*, & *Curoniam*, atque *Semgalliam*, vocare consueverunt, metropolis est *urbs Riga*: *Curoniae* princeps est *Mitavia*, quae hodie *Serenissimi Principis* est sedes.

### IV.

Et haec causa est, quamobrem generali vocabulo *Livoni* dicantur omnes trium partium supra commemoratarum *Livonicarum* incolae.

### V.

Speciali autem notione, qui *Revaliam*, & illius terminum, *Esthones*: qui *Rigam*, & illius fines, *Livoni*: qui denique *Curoniam* & *Semgalliam*, incolunt, *Curoni*, five aliis *Curones* appellantur. Et totius terrae *Livoniae* longitudo est 100. miliarium Germanicorum a Sinu Finnico usque ad *Prusiam*.

### VI.

Neque tamen ex triplici hac divisione triplex, nedum quadruplex lingua oritur, scil. *Esthonica*, *Livonica*, *Curonica*, & *Lettica*, siquidem tres posteriores unicam tantummodo linguam constituunt, ut duae tantum relinquantur: altera *Esthonica*, altera *Livonica*, five *Lettica*, five quae eadem est *Curonica*. Ex his *Esthonicam* *Esthones*: *Livonicam* five *Curonicam* *Livoni*, & *Curones* etiamnum usurpant. Contra quam gravis, & rerum Septentrionalium scriptor *Alb. Cranzius* existimavit.

### VII.

Duplici hac lingua in pagis: in urbibus autem & oppidis:

pidis *Germanica*, ex eo jam tempore, quo *Germani* a Se-  
culo inde XII. *Livoniam* in suam potestatem redege-  
runt, hodie utuntur.

## II X.

Ad Linguam vero *Livonicam*, sive *Curonicam* ipsam  
quod attinet, intelligo eandem ex multis aliis esse com-  
mixtam, ex *Graecorum*, *Latinorum*, *Celtarum* & *Gallorum*,  
*Anglorum* & *Saxonum*, imo & *Orientalium*, quemadmodum  
omnes, *Linguae Letticae*, & reliquarum jam dictarum pe-  
riti, facile mecum sentient & judicabunt.

## IX.

Cæterum si desideratur annus, quo *Livonia* est inventa,  
alii 1148. alii 1158. supputant, quo *Bremensium* Mercatores,  
nautaeque tempestate jactati, Urbem *Visbi* errore prae-  
tervecti atque appulsi, in continentem *Livoniae* exscen-  
derunt, & incolas sensim sibi conciliatos, & merces cum  
mercibus commutare solitos, ab impio idolorum cultu  
revocatos, ad Christianam religionem gubernante *DEI*  
*providentia* traduxerunt. Primus eorum meminit in  
Chronico *Arnoldus Lubecensis*, nemo ante eum nec *Tacitus*,  
nec *Ptolomaeus*, neque in itinerario *Antoninus*, nec *Beda*,  
nec *Franci*, neque aliarum Gentium scriptores. Eodem  
modo *Esthones* nostri recentiores sunt *Aestii*, alii *Ae-*  
*styos* scribunt, quorum *Tacitus* meminit, de *M.G. c. XLV.*

## X.

Postea sub auspiciis Germanicis, & Germanorum  
sangvine ac sumptibus in ditionem *Martiae Gentis* vene-  
runt, eorum legibus usi sunt, & imperio diutissime pa-  
ruerunt, usque dum bellis Rusficis implicati, post mul-  
tas rerum, temporumque conversiones, *Polonis*, *Svecisque*  
obnoxii redderentur.



D. O. M. F.

LIVONIA

INSACRISUIS

CONSIDE-

RATA,

A PRAESIDE

M. HERMANNO *Becker*

Lemsalia prope Rigam Livono,

&

RESPONDENTE

CHRISTIANO BRAUNSCHVIGIO,

Belgardia Pomerano,

*Ad constitutum diem 22. Maji,*

ANNO Christi 1700.

publice proponetur.



VITEMBERGAE,

Typis MARTINI SCHULZI, Acad. Typogr.

D. O. M. F.



1936:298



## Prooemium.

**Q**uanta sit iucunditatis, quantaque insuper utilitatis, historiam PATRIÆ habere perspectam, atque bene cognitam, satis dici non potest. Hanc enim cuius *Patriæ* amanti, quo ei officia sua, siue in sacra, siue civili Republica, utilia aequè ac grata olim præstare possit, utilem non minus quam scitu necessariam esse, nemo inficias ibit. Et hæc est causa, quam obrem hoc ipsum multis verborum lenociniis, multisque rerum argumentis evincere, supervacaneum censeam. Studium quippe historicum, quod salubris instar fontis limpidas aquas fundit, siue, ut Plinium imitari liceat, limpidine exoptata scatet, ex se iucundum & utile esse, inter omnes constat. Quare nihil attinet mirari, cur rotæ Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, aliique maximam partem summæ dignitatis Viri, omne vitæ curriculum in studio & cultu rerum historicarum extraerint, atque earum quasi amore deperierint, & etiamnum depereant. Testantur hoc de argumento seræ posteritati consecrata scripta *Comringii*, *Boeckleri*, *Schefferi*, *Loccenii*, *Rudbeckii*, *Morhoffii* aliorumque. Hæc omnia is, cui historia *Patriæ*, aliarumque regionum, & Ecclesiastica, & Civilis, est curæ cordique, mature perpendit, & prudenter animo secum recolit. Nullum enim est dubium, quin majus in Patriam commodum redundet, si quis ei operam daturus, illius res gestas aliqua ex parte novit. Hoc ipso & temporum, & rerum conversiones majori cum

fructu in memoriam revocantur, ex iisque ea, quae ad vitam, moresque emendandos pertinent, haud dubie sperantur. Id ipsum ubi semel iterumque animo mecum reputavi, unam alteramque de LIVONIA Patria mea dulcissima, Patronorum consilio atque instinctu, Dissertationem conscribere apud me constitui. Equidem me non fugit, scriptores multos de eadem hodiernum reperiri, legique. Sed cum illorum copia propter Exemplarium inopiam, rarior indies fiat, multi vero accuratiorem rerum Livonicarum cognitionem efflagitent, & mihi praeterea, ad hanc rem auctor sit SCHURZFLEISCHIUS, cujus colloquio & consuetudine hic fruor, ut post diuturnum deliberandi spatium, non nihil de rebus Livonicis mandare literis ausim. Dolendum autem, me subsidia, quae ad commentationes meas Livonicas facere omnino videntur, ob communem Patriae calamitatem belli, domo obtinere non posse. Quare L. B. oratum Te majorem in modum cupio, ut, si quae desunt forsan & jure desiderantur, pro benignitate Tua supplere ne graveris. Et cum non desperem, Te levi hoc scripturae genere, & personis summorum virorum haud digno contentum fore, polliceor Tibi quovis tempore prompta studia, & inserviendi conatum. Ut autem ordo servetur, totum praefens negotium de SACRIS LIVONORUM ita partiri placet, ut tria capita constituentur, quorum primum aget de impio Livonorum veterum cultu, alterum de religionis cultu, in Ecclesia Romana recepto, tertium denique de renovato & instaurato per D. Lutherum cultu.

CAP. I.

# CAP. I.

De

## Impio Livonorum veterum cultu.

§. 1.

**H**omines a vera Religione alienos, immensum prope idolorum numerum constituisse, illaque cultu divino prosequi consuevisse, tantoque Deos suos ardore coluisse, ut, si quandoque officii sui fuissent negligentiores, religioni duxerint, Scriptores memoriae prodiderunt. Id quod *August. de Civ. Dei. lib. XVIII cap. 18. conf. lib. 7. cap. 2* suo jam tempore affirmavit, numerata simulacra fuisse tricies sexies mille. Et antiquissimus Poetarum fere, *Hesiodus* jam cecinit. *Ἐργ. α. p. m. 30.*

*Τεῖς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πάλυβοτάειη.*

Idem quoque asserit *Varro*, & ex hoc *Alexander ab Alexandro Lib. 6. Genial. dier. Cap. 4. pag. 436.*

§. 2.

Quemadmodum autem homines non Christiani, multa idola sibi excogitarunt, & pravo quodam ingenii lusu, ac mentis cœcitate certa iisdem loca assignarunt, quo eo melius & conservarentur, & religiose colerentur: ita quoque Diis suis infinita fana magnis sumptibus extruxerunt, & altaria numerum fere excedentia erexerunt. Ecquem latet, quam praeclarum fuerit templum **A POLLINIS DELPHIS**, in monte Parnasso positum, in rupe undique impendente, de quo *vid. Justin. lib. 24. Cap. 6. p. m. 287. Conf. Diodorus Siculus Lib. 16. pag. 428. Rhodigin. lib. 16. Cap. 19. Edit. Wechel.* Pari modo templum **JOVIS HAMMONIS** magno in pretio fuit, quodq; *Plutarcho* auctore, in *Lybia* apud *Garamantas* trans *Cyrenas* in sylva quadam truculenta, loco arido

sterilique fuit situm, atque visum. *Leg. Curtius lib. IV. Cap. 7. p. m. 104. it. 106. conf. Cap. 13. p. 130.* Cum primis autem prae reliquis templum DIANAЕ Ephesi valde excelluit, quod adeo magnifice fuit aedificatum, ut inter septem mundi miracula fuerit connumeratum. Et universam Asiam templo huic extruendo ducentos & viginti annos impendisse, *Plinius scribit, Natur. Hist. lib. 36. C. 14. p. 506.* De altaribus Gentium a vero DEO remotarum constat, quod tantum eorum numerum habuerint, ut Athenienses *Θεῶ ἀγνώστοι*, DEO ignoto altare erexerint. Quo factum est, ut, ne quem Deorum forte praetermitterent, complexi fuerint omnes sub uno titulo, *Deorum ignotorum, incertorumque*, ara illis posita cum hac inscriptione: *Diis Asiae, Europae & Lybiae, Diis ignotis & peregrinis.* Vid. *Andr. Sennertus Vir de hac Academia bene meritus, in scrutin. Relig. p. m. 51.* In aris autem suis Gentes Deum trinum ignorantes, initio nec pecora, nec illorum sanguinem, sed fruges, aliosque terrae fructus immolabant. Postea temporis progressu accidit, ut victimas litare coeperint. Atque inter has suilla primum sacrificari coepta ut *Ovidius* annotavit *lib. 15. Metamorph. vers. 112.*

Hostia sus meruisse mori, quia femina pando  
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Sane horrendum dictu illud est, quod & haec consuetudo tandem invaluerit, ut Dianae hominum sanguinem immolarent, quem abominandum immolandi ritum aegre ferentes Romani, Deam Dianam propter crudelitatem suam aliis Gentibus tradiderunt, atque adeo ei valedixerunt.

§. 3.

Paucis jam dictis de Hominibus non Christianis, quos vulgo Ethnicos vocant, ad *Livonos* antiquis temporibus a vero DEO similiter aversos, me converto. Quamvis hi autem *Livoni*, sive, ut alii scribunt, *Livones* naturali sua

sua coecitate, atque mentis caligine decepti, & quasi fascinati, multos Deos Deasque habuerint, & cultu etiam religioso exceperint, iis tamen neque templa, neque aras extruxisse, aut erexisse, in quibus vel sacra peragere, vel victimas litare fuissent conati, nusquam legimus, adeo ut templorum talium, & ararum hujusmodi in *Livonia* nulum fere vestigium cernatur. Illud tamen non est inficiandum, Livonos olim sacros lucos sibi elegisse, in quibus Diis suis honorem divinum habuerunt, eosque adorarunt. Ipsos quoque lucos adeo sanctos aestimarunt, ut arborem ex iis caedere religioni duxerint. *Vid. Balth. Ruffovius in Chron. Liv. p. 2.* Idem asserit *Caspar Hennenberger de Prusis in Chron. Pruss. p. 7.* Interea in lucis, sive, sylvis istis, neque templa, neque arae, nec columnae, nec idola fuerunt inventa. Et quemadmodum illud ipsum *Herodotus lib. 1. & Alexander ab Alexandro l. IV. Gemal. diar. C. 17. p. 1092.* de Persis affirmant: sic quoque idem de Livonis valet. Quamvis vero Livones templis, arisque caruerint, Soli tamen, Lunae, tonitribus, fulguri, Ventisque, atque serpentibus sacra sua praestiterunt. Insuper Deos, Deasque singulares habuerunt, e. g. matrem, sive, Deam maris, quam piscatores, Deam agrorum, quam agricolae, Deam sylvarum, quam Venatores ferarum, Deam Viarum, quam Viatores, Deam hortorum, quam mulieres, & matres familias religiose invocant. *Vid. Paul Einhorn in Hist. Lettica p. m. 14. seqq.*

§. 4.

Nec illud videtur praetermittendum, quod idem jam citatus *Einbornius p. 17.* de sexu feminino annotavit: feminas uterum praegnantem gestantes, & puerperas, Deam fortunae honore, cultuque divino affecisse, hancque Deam ex linguae suae genio *Qaima* / quae in puerperio laborantibus suppetias ferret, invocasse. A Icopo forsan non recessero, si affirmavero, Deam hanc fuisse *Junonem Lucinam,*

*Lucinam*, cujus auxilium mulieres Infidelium suis in calamitatibus, & puerperii laboribus anxie imploravisse, legimus apud *Terentium in And. Act. 3. Sc. 1. p. m. 23.* his verbis:

Juno Lucina fer opem, serva me obsecro.

Res praeterea admiratione, & commiseratione potius est digna, quam idem saepe citatus *Einbornius p. 18* affert, se suis adhuc temporibus fama accepisse, quod Livones Deas invocaverint, hymnosque in Deorum honorem confecerint, in quibus Venatores & jaculatores Deam hortorum pecorumque sunt venerati. Addit idem *Einbornius*, se & hoc audivisse, Piscatores fuisse conquestos de Matre maris, sive, Dea maris, quae irata non amplius fortunare piscationes velit.

§. 5.

De sacrificiis Livonorum veterum, quae cum *Borussis, Samogitis, Lituaniis, Rutenisque* communia habuerunt, etiam aliquid est afferendum, quod *Johannes Menecius* in Epistola quadam de sacrificiis, & idololatria Veterum *Borussorum, Livonum*, aliarumque vicinarum Gentium ad *Georgium Sabinum* Professore[m] quondam & *Ducis Borussiae* Consiliarium scribit: Die Georgii sacrificium facere solent *Pergrubrio*, qui florum, plantarum, omniumque generum DEUS creditur. Huic *Pergrubrio* sacrificant hoc modo: Sacrificulus, quem *Burschanten* appellant, tenet dextra obbam cerevisiae plenam, invocatoque Daemone nomine, decantat illius laudes, tu (inquit) abigis hyemem, tu reducis amoenitatem Veris, per te agri & hortu virent, per te nemora & sylvae frudent. Hac cantilena finita, dentibus apprehendens obbam, ebibit cerevisiam nulla adhibita manu, ipsamque obbam ita mordicus epotam, retro supra caput jacit. Quae cum e terra sublata iterumque impleta est, omnes quotquot adsunt ex

„ea bibunt ordine, atq; in laudem *Pergrubii* hymnum canunt.  
 „Postea epulantur tota die, & choreas ducunt. Similiter messe  
 „facta solenne sacrificium pro gratiarū actione conficiunt, &  
 „Sacrificulus caprum mactaturus imponit victimæ utramq;  
 „manum, invocatque ordine Daemones, quos ipsi Deos esse  
 „credunt, videlicet: *Occopirnum*, Deum coeli & terrae: *Antrim-*  
 „*pum*, Deum maris: *Gardoacten*, Deum nautarum, qualis olim  
 „apud Romanos fuit *Portunus*: *Potrympum*, Deum fluviorum  
 „ac fontium: *Piluitum*, Deum divitiarum, quem Latini *Plu-*  
 „*tum* vocant: *Pergrubrium*, Deum Veris: *Pargnum*, Deum toni-  
 „truum ac tempestatum: *Pocclum*, Deum inferni ac tenebra-  
 „rum: *Poccollum*, Deum aeriorum Spirituum: *Putsaetum*, Deū  
 „qui sacros lucos tuetur: *Aufcautum*, Deum incolumitatis &  
 „ægritudinis, *Marcoppolum*, Deum magnatum, & nobiliū:  
 „*Barstuccas*, quos Germani *Erdensten*/ hoc est, subterraneos  
 „vocant. His Daemonibus omnihus invocatis, quotquot ad-  
 „sunt in horreo, omnes simul extollunt caprum sublimemq;  
 „tenent, quem postea sacrificulus ut victimam mactat, san-  
 „guinemque patina exceptum dispergit. Eaedem Gentes  
 „colunt Spiritus quosdam visibiles, qui lingua Rutenica *Cost-*  
 „*ty*/Graeca *κόβιλα*, ubi haud dubie legendum *κόβαλοι*, Germa-  
 „nica *Coboldi* vocantur. Hos Spiritus credunt habitare in oc-  
 „cultis aedium locis, vel in congerie lignorum, nutriuntque  
 „eos laute omni ciborum genere, eo quod afferre soleant nu-  
 „tritoribus suis frumentum, ex alienis horreis furto ablatum.  
 „Hucusq; *Menecius*. In eandem fere sententiam loquitur *Hen-*  
 „*nenberger* loc. cit. pag. 8. seqq. §. 6.

De diebus festis, quos *Livones* veteres celebrarunt, or-  
 do quoque, rerumque momentum postulat, ut paucis agam.  
 Quemadmodum autem *Livoni* multos Deos, Deasq;, quibus  
 sacrificia facere consueverunt, eosque invocare, habuerunt:  
 similiter atque iisdem unum alterumque diem festum insti-  
 tuerunt. De aliis Gentibus permultis, ipsisque Romanis scri-

ptores meminerunt, eos infinitas Diis, atque Deabus suis ferias celebrasse. Quales vero *Livoni antiqui* dies festos agitarint, ad aures nostras haud multum pervenit. Conjectu non est difficile, eos, sicut reliquas Gentes, certos Diis & Deabus suis dies festos consecrassent. Sic constat, *Livonos per vetustos* mense Octobri animabus cibum porrexissent, iisque diem festum per quatuor hebdomadas, a die 29. Septembris ad diem 28. Octobris sanxissent, eosque dies adeo sacros duxissent, ut eos dies Deorum nominarent, in iisque parce laborarent, cum primis nullum frumentum extererent, rati, omne frumentum, quod iis diebus extritum esset, si seminatur, nullum incrementum esse capturum. Hunc ipsum animarum diem festum & ab iis etiam, qui nomen suum Christo jam dederunt, clam celebratum audivi, cum abhinc nonnullis annis in patria mea viverem. Superest adhuc quidam dies festus satis abominandus, quem *Livoni* Mense Decembri tempore nocturno, saltando, exultando, cantando, vociferando, vorando atque potando celebrarunt, & domos circumeundo, omni nequitiarum generi indulgendo, atque sic heluonum, & ferme bestiarum instar noctem universam exegerunt. Et verosimile est, eos hunc detestandum diem festum a Gentibus impiis, Graecis aliisque mutuo accepisse, quos itidem mente, Decembri COMO, Deo comestationum, lasciviae, proterviaeque ferias agitasse scriptores docent. Atque tantum de diebus festis *Livonorum Veterum*. Restaret adhuc, ut de natura, Republica, ritibus baptismi, nuptiarum & funerum, aliisque momentis *Livonorum* agerem, sed cum charta haec ea non capiat, & mihi ulterius progrediendum sit, peculiari quadam dissertatione, DEO volente, omnia haec exponam.

## Cap. II. De Religionis cultu, in Ecclesia Romana recepto.

§. I. **C**UM tanta Livonorum Veterum esset superstitio atque Coecitas, Numen Sanctissimum & Summum illorum  
mife-

miseriordia captum, salutem eorum procurari serio voluit. Et hinc gubernante DEI providentia factum est, ut An. 1158. vel ut *Arnoldus Lubecensis vult*, circa Annum 1160. *imperante Frederico Barbarossa*, *Bremensium Mercatores*, tempestate jactati, urbemque Visbi errore praetervecti, atq; appulsi, in continentem Livoniae ad Dunamundam, ubi hoc tempore egregium & permunitum castellum est, excenderint. Et quamvis Bremenses a Livonis initio male exciperentur, ac nonnulli ab iisdem interficerentur, pace tamen officiis & commerciis conciliata, & jurejurando utrinque confirmata, merces cum mercibus commutare coeperunt, eosq; sibi devincire. Deinde *moderante DEO*, incolae Livoniae nihil mali suspicantes, Bremensibus potestatem dederunt non modo negotiandi ad aliquot milliaria, sed & domicilii aedificandi iisdem copiam fecerunt. Bremenses sibi omnino gratulantes de tanta DEI gratia, in monte quodam ad Dunam Castellum firmum, quod vocabatur *ursul*, & paulo post Castrum *Dalen* extruxerunt. Haec priora Castra Christianorum in Livonia fuerunt. Vid. *Generosissimus Dominus Caspar von Ceumern in Theatridio Liv. Balth. Russow. in Chron. Liv. Part. I. p. 5.* Ut autem DEI Omnipotentis non obliviscerentur pro tantis insignibus exhibitis beneficiis, Eique rectius inservire possent, in loco quodam ad Dunam, ut nonnulli putant, templum, sive, aedem DEI nomine *Kirchholm* aedificandam curarunt. Quo in loco etiamnum templum eodem nomine reperitur. Veteris vero templi, ut & duorum Castrorum rudera & hodie videntur. Consentire tamen non possum cum *D. Matthaeo Dressero*, qui *Part. 3. Isag. Hist.* scribit, Livoniam An. 1186. a vicinis populis occupatam, & vi ad Christianam Religionem traductam esse. Siquidem consentientibus accuratissimis Chronologis, An 1158. vel circa annum 1160. Livonia est inventa, ab eoque statim tempore sensim in pio DEI cultu informata. Scio quidem, esse nonnullos, qui seculo jam nono Livoniam inventam, & conver-

sam esse, atque ab *Erico Sveonum Rege*, Coenobium quoddam prope Urbem Revaliam exstructum purant, illudque ex Annalibus probatum reddunt, sed cum hoc de argumento Celeberrimi Chronologi taceant, cogor annum commemoratum 1158. retinere, eundemque statuere.

§.2. Posteaquam igitur *Bremenses* in Livonia habitare coeperunt, incolis illius terrae magis magisque sibi devinctis, ad aliquod tempus in tuto sunt versati. Et quo major Bremensibus cum Livonis esset consuetudo, Bremam profecti, ab eaque urbe mercibus aliis instructi, ad Livonos cum aliis Germanis Mercatoribus redierunt, atque ab iis comiter sunt habitati. Accidit autem DEO sic moderante, ut cum Bremensibus Symmysta quidam, Vir alioquin doctus, nomine *Meinardus* Monachus, oriundus ex oppido Segeberge, in Livoniam perveniret.

§.3. In hoc *Meinardo* & summa comitas, & oris suavitas erat, unde omnium hominum & oculos & favorem in se convertibat. Omnem itaque lapidem movebat, ut Gentibus Livonicis a vero DEO alienis verbum DEI annunciaret, easque ad DEUM traduceret. DEUS laboribus ejus, & omnibus conatibus, quos in honorem Numinis susceperat, & Livonorum salutem, adeo benigne annuebat, ut multae animae lucrifierent. Erat e regione Castelli *Uyful* quidam Vir dives, potens simul & magnae auctoritatis, cui nomen erat *Cobbe*. Hic & multi ex ejus amicis, Christo nomen dantes, a *Meinardo* sacro fonte abluti in gratiam cum DEO redibant. Rumore autem ad *Lituanos, Russos, Esthones, Curones* aliosque perlato, *Cobbe*, & multos illius amicos Christianos esse factos, armis sumptis, Christianis sese opposuerunt. Quo ipso fiebat, ut *Meinardus* cum dicto *Cobbe*, aliisque Christianis Romam proficisceretur. Erat eo tempore *Pontifex Alexander III.* qui rebus Livonicis bene exploratis, *Meinardum* Episcopum Livoniae Anno 1170. constituebat. *Sedes autem Episcopalis* erat eo in loco, quo  
jam

jam urbs Riga est extracta. Fuit hic *Meinardus* Episcopus 23. annos, & Anno 1193. diem supremum obiit.

§. 4. *Meinardo* mortuo, in ejus locum successit *Bartholdus*, Brema Livonorum rogatu in Livoniam missus. Hic *Bartholdus* secundus Livoniae Episcopus, An. 1190. Urbem *Rigam* primus aedificare coepit, sed ab Esthoniibus opus inceptum inique ferentibus fuit interfectus, annis XI. in sede Episcopali confectis Leg. Dominus a *Ceumern*, *Frid. Menii Prodrum. Liv. p. 4.*

§. 5. *Bartoldo* occiso, Livoni Christiani dolorem fati magnum ceperunt, & ad Archiepiscopum Bremensem miserunt, aliumque Episcopum exorarunt. Erat vero eo tempore Bremae Vir quidam sincerus, cujus nomen *Albertus* ex familia *Burghoeden*. Hic *Albertus* tertius Livoniae Episcopus, An. 1240. Romae a Pontifice *Innocentio III.* confirmatus, ab eoque Pontifice ordo Equestris, quem vocabant *Crucigerorum & Templariorum*, ut *Alberto* contra Barbaros subsidio veniret, fundatus fuit. De hoc *Alberto* paucis annotandum, eum An. 1200. Urbem *Rigam* magis excolendam & instaurandam, multa templa, monasteria, *templum Cathedralis Rigense*, & Coenobium aliquod ad *Dunamundam* extruenda, monetam Privilegiis *Henrici Imperatoris Romani*, cudendam curavisse.

§. 6. *Alberto* rebus humanis erepto, quartus Livoniae Episcopus a *Gregorio IX.* constitutus fuit *Nicolaus*. *Nicolaus* defuncto, primus Livoniae Archiepiscopus ab *Innocentio IV.* creatus est *Albertus*, & ultimus in Archiepiscoporum ordine existit *Wilhelmus Marchio Brandenburgicus*, in quo haec dignitas deficit. Si quis omnium Antistitum Livoniae nomina desiderat, adeat *Generos. Dn. a Ceumern*. Atque sic per Episcopos initio, & deinceps per Archiepiscopos Livonia univarsa ad Religionem Christianam informata, & templis passim extructis aucta, doctrina Ecclesiae Romanae in Livonia a Seculo XII. ad sextum decimum usque floruit.

# Caput III. De renovato & instaurato per D. Lutherum cultu.

§. 1. **Q**uanta Livonorum Veterum superstitione fuerit, ex iis, quae hactenus dixi, satis patet. Eo enim tempore, quo Religionis Christianae hostes erant, & paganorum, atque infidelium nomine insigniebantur, nec vera Dei cognitio, nec literae quicquam ibi valebant. Homo autem sine Numinis cultu, & sine literis satis est miser. Id eleganter & erudite expressit *Balthasar Gratianus* in libro, qui inscribitur *L'homme de Cour*, ex interpretatione *Amelotii* reculo, ubi *Maxime 4. p. m. 4.* in hanc sententiam loquitur: *L'homme, qui ne sait rien, c'est le monde en tenebres*, hoc est, homo, qui literarum expertus est, mundus est in tenebris. Et *Arabum* hoc est proverbium: non est orphanus, cujus obiit pater, sed orphanus est, qui scientiam non habet, & eruditionem. Huc quoque spectant verba *Senecae Epistola 78. p. m. 403.* ita dicentis: unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima aetas. Et *Ep. 32. p. m. 429.* Otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura. Omnia haec in antiquos Livonos apprime conveniunt, & vere dicuntur. Posteaquam vero sacris initiati sunt, multa cum nationis suae laude literis quoque paulatim operam navare coeperunt, neque ab hoc instituto ad hodiernum usque diem destiterunt.

§. 2. Ac ita quidem se gesserunt prioribus seculis, quibus Romanae Ecclesiae se addixerant. Cum vero regnante *Magistro Provinciali VVoltero von Plettenberg* Anno Christi 1522. 1523. 1524. lux instauratae doctrinae urbi *Rigensi* affulsit, verbo divino literisque majori conatu & industria incubuerunt. Atque ut a ritibus Ecclesiae Romanae discessionem facerent, bellum simulacris indixerunt in tribus Urbibus, *Rigae, Revaliae, & Dorpati*, & sic imagines, & statuas passim confregerunt, & Religionem Evangelicam Lutheranam solenniter introduxerunt.

§. 3. Atque haec doctrina tantum Deo adspirante incrementum cepit, ut multi ex ordine Equestri, & cum eodem multi alii eandem amplecterentur, pro eaque vitam amittere, & sanguinem profunderent. Concionatores Romanos ritus professi, his observatis, *Archiepiscopum Casparum von Sinden* concitarunt, ut illos contra

*Lutheri*

Lutheri sectatores tueretur. Hic ut illorum petitis locum daret, *Episcopus Dorpatensem Johannem Blanesfeld* adiutorem sibi elegit. *Rigenses* vero hujus ardore circa Religionis negotium, & libertatem satis cognito, atque perspecto, ei obsequium praestare recusarunt. *Vid. Memus pag. m. 15.*

§. 4. Quamvis autem Evangelici hinc inde vexarentur bellisque opprimerentur, Dei tamen ope suffulti *doctrinam Evangelicam* per universionem Livoniam propagarunt. Nec defuerunt Viri & fama & eruditione clari, qui ex exteris regionibus in *Livoniam* profecti, egregiam religioni EvangelicoLutheranae provehendae operam dederunt. Inter reliquos Viros doctos eminent *Dionysius Fabri*, Pomerania oriundus, qui obinopiam Scholarum in Livonia circa Annum 1538. *Livonicos Processus Juris quinque libris constantes* in lucem emisit. Theologorum nomina & merita, qui circa illud tempus flourerunt, propter Chartae hujus angustias silentio praetereo. Non tamen hic oblivisci possum Viri de re sacra bene meriti, & *pastoris* olim in *Livonia Felinensis Roetgeri Becker* Atavi quondam mei Charissimi, qui inter primos Rigae in templo S. Mariae Magdalenae Monachis *Lutheri* doctrinam aperuit, & Catechismum explicuit, & praeterea unum alterumque scriptum promulgavit. Ut nihil jam dicam de *Johanne Becker* Ministro Ecclesiae quondam *Rigae*. proavo meo amatissimo, quoniam a jaetantia longissime absum. Hinc ne verbum quidem addo de agnato meo, qui in Livonia functus est *munere Directoris justitiae*, cujus monumentum superest Rigae in Ecclesia Cathedrali conspiciendum. Neq; illud est omittendum, sub *Regibus Sveciae & Poloniae* Religionem Evangelicam prospero successu fuisse promotam, atque amplificatam. Legimus quidem, Anno 1582. pace inter Polonos & Moscovitas constituta, *Stephanum* Regem Poloniae passim in Livonia mutationem auspicatum, ac Sacerdotes Ignatianos Dorpatum, VVendam, & *kokenhusiam* duxisse, atque a Rigenfibus Templum Cathedrale tradendum postulasse, sed tantum aedem S. Jacobi longam post moram obtinuisse, & Anno 1583. primum *Episcopum Johannem Patritium* VVendam ablegatum, ibique summum Capitulum, & Dorpati sedem Praepositi, ac Patrum S. J. Collegium constitutum esse. Sed deinde sub *Regibus Sveonum* major indies doctrinae Evangelicae vis & libertas fuit.

§ 5. Cum enim GUSTAVUS ADOLPHUS Svecorum Rex Anno 1621. d. 1. Augusti Urbem Riga, & deinceps universam Livoniam in suam potestatem redegit, magnanimus Rex Lutheri Religionem tuendam & stabiliendam sedulo suscepit. Videns autem, Livoniam scholis non multis instructam, & secum animo pervolvens, scholas Reipublicae seminaria esse, nihil adeo habuit in votis, quam ut scholae in Urbibus, oppidisque fundarentur, bonisque Praeceptoribus ornarentur. Quem in finem Dorpati cura Regis benignissimi, schola oppidana, schola itidem vulgaris, & Privilegiis Regiis donata, tribusque Collegiis praedita, egregium insuper Gymnasium, quod octo Professoribus constaret, condita fuerunt. Quoniam vero Rex GUSTAVUS ADOLPHUS in eo semper innitebatur, ut Livonia quovis tempore floreret, opera ejus factum est, ut Anno 1632. d. 15. Octobris Gymnasium illud, sedecim coopratissimis Professoribus, nomine & titulo *Academiae*, sive, ut loquuntur, *Universitatis* inauguraretur, iisdemque Privilegiis, quibus *Academia Upsaliensis*, ornaretur. Et quanquam haec *Dorpatensis Academia* Anno 1656. bello Moscovitico fuit vastata, An. tamen 1690. sub Auspiciis CAROLI XI. Sveonum Regis quondam Gloriosissimi magnifice instaurata, & An. 1699. d. 28. Augusti, uti per literas accepi, *Pernabiam* translata est.

§ 6. Ceterum quantum Religionis Evangelicae defensor fuerit CAROLUS XI. testantur illius Constitutiones Ecclesiasticae, paucis abhinc annis promulgatae, scholae per universam Livoniam in omnibus Urbibus, Oppidis, pagisque, Regiis sumptibus fundatae & conservatae, Biblia Latina itidem sumptibus Regiis non solum procurata, sed etiam inusitata quadam munificentia *Ecclesiis Libonis & Curlandicis* donata. Quam accurate haec Biblia, labore atque opera indefessa *Johannis Fischeri Theol. Doctoris & Generalis Liboniae Antistitis*, cui Livonia ob egregia illius merita plurimum debet, & ego ipse pro innumeris in me, & in patria mea fere per decennium, & hic per quadriennium, collatis beneficiis, debeo, ad fontes Hebraeos Graecosque expressa & reddita sint, nostras *Kortholtus* in scripto quodam *de Variis Scripturae Editionibus* insigniter commonstravit. *Libri*, quos vocamus, *Symbolici* tanti sunt, & tanti in universo regno Svecico aestimantur, ut sacris ordinibus initiandi & inaugurandi, in eos fidem dare & jurare per sancte teneantur. Nec possum silentio praeterire *Lyceum Regium Caroli XI. pietate fundatum An. 1675. in urbe Riga*. Quam indulgentissime *Carolus XI.* id fovit, & *Carolus XII.* quem Deus semper incolumem clementer servet, etiamnum fovet, & quanti jam ex eodem Lyceo Viri prodierint, loquantur, qui compertum habent. Nec quisquam vero dubitat, quin, si Deus id servaverit, fructus in omnem posteritatem sit redundaturus. Quanta industria, & labore perpetuo *Johannes Wippen* Oris per 20. annos cum dignitate Rectoris eidem praefuerit, & deinceps, atque ante biennium in *Academia Dorpatensi Prof. Publ. Orient.* constitutus, paucis ibi hebdomadibus confectis, vitam cum morte commutaverit, Praeceptor ante meus per quadriennium optime meritus, cui post Deum multum in acceptis fero, non est cur multis dicam. Reddat nobis Deus Viri ejus similem in *M. Adriano Preusim* Ann. Amico meo & Commilitone quondam amantissimo, ut sarciat jacturam, quam fecimus in *Uppendorffo*. Sic Deum precatus, & gratias Eidem persolutis, laborem hunc in praefens finio, laetusque concludo.